

4. facile desumas. At longe haec diversa est a nostro Tractatu, qui non in *Sermones XII.* aut potius Apologos dicas, sed in Articulos multos dividitur, quos inter de Missa triste faceti: *Come la Messa è beretica, è una gran' Maga, è una gran' Strega, è una grande Idolatra, è una gran' Meretrice &c.* Nemo porro ejus meminit, ne *Baylius* quidem, qui ceterum lancem, ut solet, faturam de *Ochino* admensus est.

DXXXI:

689 Codex chartaceus lat. Sec. XVI. Folior. 56. 4. eleganter scriptus, utque e Theca adparet, quae deaurata et anno MDLII. insignita est, *Ferdinando I. Imp. oblatum Titulum praefert: Ad Sacratissimum Rom: Hung: et Bobemiae Regem Ferdinandum &c. De extremorum temporum nostrorum statu. De Antichristo, eiusdemque regno tyrannico et reuelatione, de fine Mundi et supremo iudicio. Liber.* Ita vero ingreditur: *Quod ueteres Romani in magnis reipub: periculis et rebus dubijs, Ferdinande rex optime, fecerunt, ut libros Sibyllinos, quorum quindecim interpretes delectos e ciuitate esse uoluerunt, consulerent, Id temporib: hisce nostris, in saeuissimo furentis Germaniae tumultu, imitandum nobis esse duxi, ut oracula ea adiremus, et si quid in eis uel consilij uel solatij, ad praesentem usum inuenire possemus,*

diligenter inquireremus, et inuentum ad Maiestatem tuam perscriberemus. Laudatis mox, prolixè Oraculis *Sibyllinis*, pollicitusque, se *Ferdinando* Antichristum de nomine indicaturum et ueluti digito demonstraturum, disquisitionem e S. Literis, Patribus, Scriptoribus profanis instituit, omnia praedictis Oraculis adcommo- dando, quorum versione metrica utitur, non *Seb. Castalionis*, sed quam ipsemet cudisse videtur. Atque primum in *Neronem*, eumque in *Mahomete* et *Turcis* redivivum commentatur, Historiam sensim ad *Caroli V. et Ferdinandi* deducens tempora, perstringensque passim alios Principes Christianos, quorum agendi ratio *Turcis* profuit, tum in *Paulum Jovium* acerbè invehitur, quod *plurima in uno duntaxat Elogiorum importune publicato uolumine mendaciter et improbe uulgauerit, Otomanicam Antichristi familiam tantum non in coelum laudibus ferens.* Abusum illum esse gratia et privilegio *Caroli Caes.* Injuriam fecisse *Sigismundo Poloniae, Ludovico Hungariae Regibus &c.* Subdit: *Porro quod bonus iste Episcopus tam scurriliter turcizat, Galliae regibus iudicio meo ea in re ancillatur, ut fœditatem Turcici eorum fœderis impudentia et uanitate apertissima apud imperitos obuelet &c.* Deinceps ex hoc diverticulo ad *Antichristum* redux Numerum *Beftiae Apocalypticae 666.* ductis e vi literarum graecarum calculis in nomine Imperatoris *Turcarum*

2033

P O L E M I C I.

2034

carum Σολεμανος primum, mox etiam in nomine Μαομετις reperit, et quanquam Romanis Pontificibus adeo nihil diffimulet, ut scribat: *Possẽm hic pauca referre de Sanctissimo Clementis VII. contra Carolum Imper. et Maiestatem tuam, et consequenter contra ciuitatem et Ecclesiam Dei isto foedere;* tamen etiam in voce Λουθεγανα numerum Bestiae contineri ait. In Vaticinia demum de Iudicio extremo expatiatus ita concludit: *Quod reliquum est, Ferdinande, rex optime, in uotis atque supplicationibus est situm, ut Deus Zebaoth mentem Maiestatis tuæ sapientiæ suæ et spiritus lumine illustret — Maiestatem etiam tuam cum liberis et fidelibus populis suis a sanguinaria beluæ Antichristianæ tyrannide brachio suo excelso et extento conseruet, tueatur, ac defendat, ut denique Maieitati tuæ omnia ea diuinitus contingant, quæ in propheta et regis Dauidis psalmo 19 sunt expressa uota, sincere precamur et optamus. Amen.* Adjecta est Observatio de Vocabulo *Optio*, quo Noster per decursum frequentius usus est, quodque e *Festo, Justiniano, Plauto* et *Budæo* hic *Administram, Accensum*, videlicet Antichristi, interpretatur. In uniuersum Virum graecæ, latineque doctum, vastaque lectionis audias, sed paene aniliter credulum. Verum quis ille? An *Wolfg. Lazius*, qui *Methodii* Vaticinia edidit? An *Job. Langus Silesius*, non Medicus, sed Jctus ille, quem *Cod. DXXVIII.*

θεολογιζειν vidimus? An denique παραδοξος ille *Paulus Scalichius?* Germanum fuisse, Voces vernaculae non semel interiectae probant.

DXXXII.

Codex chartaceus lat. Sec. 635 XVI. Folior. 10. 4. est Autoris cuiusdam e Protestantibus Differtatio inscripta: *De Fine Mundi sive Novissimo Die*, quae incipit: *Cum nulla sit consolatio dulcior proposita Ecclesiae Dei, quam in eo Iudicio, quod in fine huius mundi futurum sit, summo studio sunt omnium Piorum animi in eius Iudicij cogitationibus exercendi &c.* Tribus porro Quaestis res transigitur. I. *An sit huius Mundi Iudicium futurum.* II. *Quo tempore.* III. *Quo modo.* Quaestis primi initium annum *Scriptio*nis prodit. Lego enim: *Certissimum est, hunc mundum non fuisse ab aeterno, sicut Aristoteles opinatus est, sed hoc anno 1556. iam annos 5518. praeterijisse ab eo tempore &c.* Cetera difficultatem non habent, uti nec Quaesitum III. quae omnia ad ductum sacrarum *Literarum* explanantur. At vero ad Quaesitum II. partim e *Prophetia Pseudoeliae* deprompta e *Traët. Talmud. Sanbedrin* et *Gemara Avoda Sara* de sex Millibus Annorum durationis *Mundi*, partim e *Monarchiis Danielis*, partim e *Praedicationibus Christi* et *Apostolorum* vicinum *Judicii* diem infert Noster, concluditque: *Postremo*